



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

VI. De lætitia bonæ conscientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-45773)

Amans Deum anima sub Deo de-  
spicit universa.

Solus Deus æternus & immensus,  
implens omnia, solatum animæ, &  
vera cordis lætitia.

## C A P U T . V I .

*De lætitia bonæ conscientiæ.*

**G**loria boni hominis , testimoniūm bonæ conscientiæ.

Habe bonam conscientiam, & ha-  
bebis semper lætitiam.

Bona conscientia valde multa po-  
test portare , & valde læta est inter  
adversa.

Mala conscientia semper timida  
est & inquieta.

Suaviter requiesces, si cor tuum te  
non reprehenderit.

Noli lætari , nisi cùm bene feceris.  
Mali nunquam habent veram læ-  
titiam , nec internam sentiunt pa-  
cem: quia non est pax impiis , dicit  
Dominus.

Et si dixerint : In pace sumus, non  
venient

venient super nos mala : & quis nobis nocere audebit ? ne credas eis, quoniam repente exurget ira Dei, & in nihilum redigentur actus eorum, & cogitationes eorum peribunt.

2. Gloriari in tribulatione , non est grave amanti : sic enim gloriari, est gloriari in cruce Domini.

Brevis gloria , quæ ab hominibus datur & accipitur.

Mundi gloriam semper comitantur tristitia.

Bonorum gloria in conscientiis eorum , & non in ore hominum.

Justorum lætitia de Deo & in Deo est : & gaudium eorum , de veritate.

Qui veram & æternam gloriam desiderat, temporalem non curat.

Et qui temporalem requirit gloriam , aut non ex animo contemnit, minus amare convincitur cælestem.

Magnam habet cordis tranquillitatem , qui nec laudes curat, nec vitiuperia.

3. Fa-

eo  
cap

3. Facilè erit contentus & pacatus,  
cujus conscientia munda est.

Non es sanctior, si laudaris; nec  
vilior, si vituperaris.

Quod es, hoc es: nec major dici  
vales, quam Deo teste sis.

Si attendis, quid apud te sis intus,  
non curabis, quid de te loquantur  
homiines..

Homo videt in facie, Deus autem  
in corde. Homo considerat actus,  
Deus verò pensat intentiones.

Bene semper agere, & modicum  
de se tenere, humilis animæ indi-  
cium est.

Nolle consolari ab aliqua creatu-  
ra, magnæ puritatis & internæ fidu-  
ciæ signum est.

4. Qui nullum extrinsecus pro se  
testimonium quærit, liquet quòd  
totaliter se Deo commisit.

Non enim qui se ipsum commen-  
dat, ille probatus est (ait B. Paulus)  
sed quem Deus commendat.

Ambulare cum Deo intus, nec ali-  
qua affectione teneri foris, status est  
interni hominis.

CA-